1519. Ex Ms: Arch: Radivil Nesv:

Sigismundus Primus Rex Poloniae Ad N. N.

124

Generose domine amice et fautor honorandissime. Sumus hic in magno taedio constituti, optamusque ut cito nos hinc explicare et in regnum reverti possimus. Spero autem quod Majestas Regia mox post festum Natalis, ad summum Circumcisionis domini hinc discedet, nam accelerat in expediendis, et cito absolvendis negotiis hujus conventus, ut ad tempus puerperii Reginalis Majestatis venire isthuc possit. Ex Moscovia nihil adhuc allatum est, nec scire possumus quid sit de pace aut induciis sperandum. Majestas Regia gratia Dei est bene sana. Commendo me vestrae dominationi, et valere illam felicissime desidero. Datum in Brzescie. etc.